

(1238) 1239, gener, 4

*Arnaud de Vilademany defineix a Jusiana de Cervera els seus drets sobre el castell de Toralles i la possessió de Setcases per 2.200 sous.*

ASD núm. 124, perg. orig., 165 x 355 mm. Còpia: *Llibre de capbrevacions de Setcases*, núm. 22, ff. 37v-38.

Sit notum cunctis quod ego Arnallus de Uillademagno, per me et per omnes meos presentes et etiam futuros dono, diffinio et in perpetuum remitto uobis domine Iusiane de Ceruaria et uestris perpetuo omnes illos honores quos uos habetis et eciam possidetis apud Torayes et Septemcases, qui honores fuerunt Raimundi de Uillamullorum, et in quo eciam honore seu honoribus Guilielmus de Montecluso mihi locum suum et iura cessit, que ibi habebat, tam ratione matris sue Raimunde, cui Raimundus de Uillamullorum dictos honores in suo testamento dimisit, quam alio aliquo modo uel eciam iure. Predictos quidem honores et omnes redditus et exitus et prouentus et quicquid inde eciam uos habuistis uel etiam aliquo tempore de dictis honoribus percepistis, totum uobis et uestris dono, diffinio et etiam in perpetuum remito, ita quod dictos honores et dicta omnia habeatis de cetero et eciam possideatis uos et uestri ad uestram uestrorumque uoluntatem perpetuo faciendam sine meo meorumque retentu et eciam petizione seu demanda quam contra uos uel uestros in dictis omnibus aliquo tempore facere non possim, cedendo uobis iura mea et locum et uoces et acciones reales et personales, utiles et eciam directas et mixtas que in dictis ómnibus habeo tam ratione donacionis et cessionis quam Guilielmus de Montecluso mihi fecit quam alio aliquo modo uel iure ad uestram uoluntatem faciendam. Et propter hanc donacionem et diffinicionem confiteor me a uobis numerando recepisse et penes me habuisse duo mille et ducentos solidos barchinonenses, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, renunciando excepcioni non numerate peccunie et excepcioni doli et rei non tradite. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat.

Actum est hoc .II. nonis ianuarii anno Domini .MCCXXX. octauo.

Sig+num Arnalli de Uillademagno, qui hoc firmo firmarie rogo. Sig+num Dalmacii de Mediniano. Sig+num Bernardi de Uillaert. Sig+num Arnalli de Solerio. Sig+num Bernardi de Paba.

(*s. man.*) Arnallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 255-256